

02 H 1304

D I S S E R T A T I O I V R I D I C A
D E
E F F E C T V
L E G I S C O M M I S S O R I A E
P A R T E P R E T H I I S O L V T A
A D L. 4. §. I. D E L E G. C O M M.

Q V A M
P R A E S I D E
V I R O C O N S V L T I S S I M O
G E O R G I O S A M V E L E M A D I H N
I V R I S V T R I V S Q V E D O C T O R E,
D. XXVI. SEPT. MDCCCLV.
H. L. Q. C.

P V B L I C E D I S P V T A B I T
A V C T O R R E S P O N S V R V S
I O A N N E S F R I D E R I C V S S C H Ä F F E R
C V S T R I N O - N E O M A R C H I C V S.

H A L A E S A L I C A E,
S T A N N O H E N D E L I A N O.





§. I.



Controversum quidem inter ICtos est, *Legis com-*
vrum emtor partem pretii soluti per missorie no-
dat, si contractus vi legis commissio tio euolu-
riæ resolutur; sententiam vero, quam tur.
vulgo, non tantum omnes statuunt, ad-
firmantem deprehendimus. Sepotitis DD. opinionibus
præsenti in dissertatione, veram huius caussæ definitionem
inuestigaturi, contra torrentem nobis disputandum est.
Veteri ICtorum schola præiente caussam tuebimur, quæ
licet iam ingenia NOOTII, HYBERI, VOETII, BRANCHU,
aliorumque, quos artis sua decora exosculatur iurispru-
dentia, exercuerit, illorum tamen industria & acumine
res haud occupata videtur. Euolutis igitur LL. rationi-
bus non imaginariis demonstrationibus tenemur, sed satis
omnino laudis erit ex principiis legitimae scientiae, iusta
ratione, veram mentem iuris auctorum eruere. Eo ma-

gis hoc nobis erit curae cordique, quo certius est, rem quam disputamus praesentissimi usus esse. Si contractum paetum adiicitur vel eiusdem tenoris est, ut vi eiusdem contractus initus effectu suo destituatur, si alter obligationi suae specifici determinatae satisfacere detrectat, et vel minus. Priori in casu hoc pactum *legis commissoriae* nomine venit. Contractus vero cui accedit vel emtionem venditionem arguit, vel non. Si illud *legem commissoriam in specie* nominare placet. Lex commissoria igitur inuoluit pactum emtioni venditioni adiectum, ut vi eiusdem ius ex contractu translatione revocetur, si alter contrahentium obligationi suae satis non facit.

Contractuum atque paetorum indolem Iure Rom. admodum diversam fuisse neminem, nisi in arte nostra plane hospitem, fugere potest. Contractus propria sua vi obligationem ciuilem producebant, quum pacta per propriam suam naturam omni efficacia ciuiliter obligandi destitueretur. Verum speciales LL. dispositio-nes, beneficium Praetoris, aequa ac si contractibus accedebant, interdum is idem illud tribuit, quo propriis suis indole carebant. Nihil sane elegantius, nihilque si dicendum quod res est, veritati conuenientius deprehendere licet structura illa Iuris Rom. de origine obligationis paetorum, quae tot solidioris doctrinae interpretes offendit, quamque hodie recentiores potius explodunt, quam ut Romanorum acumen peruident, multo minus vero illud viribus suis exaequare possint. Ignominiam & veritati & sagacissimis Quiritium institutis illatam alio tempore profligaturus est Dn. PRAESES, cum thematis praesentis ratio vix permittere videtur erroneae opinioni obuiam ire, radicitus vero deinceps evertenda. Ex indole paetorum adiectorum satis superque constat, illa obligationem ordinariam ex contractu oriundam vel augere vel minuere, adeoque vel adiicientia esse, si ex arte loquimur, vel detrahentia. Paesta detrahentia semper in contractibus bonae fidei effectum sortiebantur, adiicientia vero, tum demum contractibus bonae fidei inerant, si in continent, iisdem adiecta fuerent, adeoque ipsa actione, quam contractus producebat, quoque praestationem per

per pacta adiecta suscepit, consequerantur pacientes. Vide
sis VLPIANVM in L. 7. §. 5. ff. de pacto efficaciam adiectorum pa-
ctorum eleganter explicantem. Ibi enim ille: quin immo inter-
dum format ipsum (pactum) actionem ut in b. f. iudicis, sole-
mus enim dicere pacta contenta inesse b. f. iudicis. sed hoc sic
accipientum est, ut si quidem ex continenti, pacta subsecuta sunt,
etiam ex parte actoris insint: ex intervallo non incurunt nec vale-
bunt, si agat, ne ex pacto actio nascatur, vt puta — — — Idem
MARCELLVS scribit, & si — — ne ex pacto nascatur actio.
Ea enim pacta insint, quae legem contractui dant, i. e. quae in
ingressu contractus facta sunt. PAPINIANI auctoritatem ideo
excitare et re sua putat VLPIANVS ne sententiam absque nutu sum-
mi ICti sonere videatur, quam ob causam loc. cit. pergit: Idem
responsum s. io a PAPINIANO, & si, post emtionem, ex intervallo
aliquid extra naturam contractus, conueniat, ob hanc causam
agi ex emto, non posse propter eamdem regulam ne ex pacto na-
scatur actio, quod & in omnibus bonae fidei iudicis erit dicen-
dum. Sed ex parte rei, locum habebit pactum, quia solent & ea
pacta, quae postea interponuntur parere exceptions. Ex hocce
quantius pretii loco naturam obligationis pacti adiecti tam adeu-
rate aestimare possumus, vt omnis dubitandi ratio merito exulare
debeat. Operae igitur pretium esset hancce VLPIANI men-
tem profundius eruere, si cancelli dissertationis admitterent. Si
hanc ICti orationem ad legem commissoriam in praesentaneam ad-
PLICAMUS, pactum hoc venditori tunc proficuum olim fuisse, si
in continenti ad contractum accedebat, nullumque effectum pro-
duxisse, si ex intervallo, partes de illo conuenerant, palam om-
nino est. Ponamus enim Sempronium fundum suum Caio ven-
dere, atque de pretio fidem habere. Iam Caio moras in sol-
uendo necente venditor de legē commissoria contractui, qui per
aliquod tempus iam subsistebat, vt puta emto, adiicienda sol-
licitus est, atque etiam tandem cum emtore pacificatur, quod fun-
dus nisi intra tres menses pretium solutum fuerit, inemittas fie-
ret. Sed Caius nihilominus solutionem debito tempore detre-
stat, ideoque contra legem commitit, quare iam Sempronius
legem commissoriam exercere cupit. Verum frustra fundum
trahit repetit, atque tantum morosum debitorem ex mente
ICti ad pretium soluendum actione venditi adigere potest. Si

vero sumimus fundum, sub lege commissoria, traditum esse, atque deinceps de illa iterum tollenda, pacto nudo inter contrahentes conuentum fuisse, Caius venditorem vi pacti commissorii fundum reuocantem cum effectu exceptione pacti repellat. Ceterum quidem extra dubitationem est, legem commissoriam tam in favorem emitoris, quam venditoris adiici posse, tamen si Rom. Ius respicimus, LL. pro venditore tantum pactum commissorium admisso videtur.

§. II.

Legi commissoriae tantum in emtione venditione permissoria confectae locus est, & inuoluit conditionem roslutiuam. Lex ditionem re-enim commissoria est pactum emtioni venditioni eum in finem adiectum, vt illa iqualida fiat, si alter suae obligationi specifici determinatae non satisfaciat (§. praec.). Iam emtio venditio, quae ponitur, aut effectus producit inter emtorem & venditorem, aut minus. Posteriori in casu nulla obligatio, nullumque ius inter partes exinde oriri, manifestum est. Quare neque venditor ad rem tradendam, & neque emtor ad pretium soluendum obligatur. Sed in emtione venditione id agitur, vt alter ad rem tradendam, alter vero ad pretium soluendum obligetur (per definit.); consequenter nulla emtio venditio inter partes inita censetur, adeoque si quam inire voluerunt non nisi adhuc imperfectae esse potest. Si igitur sumimus legem commissoriam imperfectae adhuc emtioni adiici, inter partes sane conuenit, vt ius ex contractu non translatum sit, si alter obligationi suae non stetit, in eo casu vbi nulla obligatio contracta est. Quod cum valde absurdum sit; extra dubium positum est, legem commissoriam tantum emtioni venditioni perfectae accedere. Idem quoque ICorum quorum fragmenta in Pandectis extant fert suffragium. *VLPIANVS in L. 4. pr. ff. de lege comm. hac ratione rem conficit: si fundus lege commissoria venierit, b. e.*

vt

ut nisi intra certam diem pretium sit exsolutum inemptus fieret: videamus quemadmodum venditor agat tam de fundo, quam de his, quae ex fundo percepta sint. Itemque si deterior fundus effectus sit factio emtoris, & quidem finita est emtio, sed iam decisa est quaestio, & ex vendito actionem competere, ut rescriptis Imperatoris ANTONINI & DIVI PII declaratur. VLPIANVS igitur contraactu ex lege commissoria resoluto venditori actionem venditi in mundo esse aduersus emtorem, ut non tantum ipsum fundum praestet, sed queque in quantum deterior ille factus, & ipsos Imperatores Augustali rescripto litem pro venditore dirimentes perhibet. Iam si emitio non fuisset perfecta, quomodo ICtus actionem, isto ex pacto adiecto nunc corridente, vni contrahentium concedere potuisset? In eandem quoque sententiam nobis praeiuit PAPINIANVS ICtorum ille coryphaeus, teste VLPIANO in L. cit. §. 2. verba sui praceptoris referente: statim atque commissa lex est statuere venditorem debere utrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere, nec posse si commissoriam elegit, postea variare. PAPINIANO igitur merito placet electionem venditori vindicare, utrum, contractu ex mora emtoris eiusque intuitu corridente, velit nihilominus pretium prosequi, & ira debitorem ad seruandum contractum adigere, aut potius rem traditam repetrere, postquam respectu emtoris vi legis commissoriae emitio effectu destituebatur. Vtroque in casu venditor actione venditi experiri debebat, cum pretium ab emtore frustra imperfecto adhuc contractu exigitur, atque legem commissoriam absque actione venditi in suos usus vix conuertere potest. Non quidem vi ipsius contractus in hoc casu rem venditam repetebat, sed beneficio pacti adiecti. Verum praeitaciones ex eiusmodi pactorum genere proficiuentes etiam actione ex contractu ipso oriunda persequi ex

ex natura paetorum adiectorum ad intelligendum haud difficile est. (Schol. ad §. praec.)

Porro ex notione legis commissoriae patet ius ex emtione venditione in alterum translatum reuocari, si alter obligationi suae contraetiae conuenienter haud agit: adeoque finis huius iuris in alterum translati ab hoc euentu suspenditur. Quare quum hoc conditionem resolutiua inuoluere manifestum sit; legi commissoriae quoque resolutiua conditionem inesse extra dubium positum est. Eodem modo VLPIANVM legis commissoriae indolem in L. 1. ff. de lege commissor. aestimantem aduertimus; nam, *si fundus*, inquit ICtus, *lege commissoria venierit magis est, vt sub conditione resoluti emtio, quam sub conditione contrahendi videatur.* Quum vero ICtus per particulam *magis rem* pro nobis facit, dubium exinde oriri posset, quod idem ille conditionem suspensiua non penitus excludat, sed tantum plerumque pactum sub resolutiua conditione celebrari statuat. Verum VLPIANVS ipse errorem profligatus, speciose adfirmat conditionem resolutiua huius legis indoli magis conuenire, quam conditio suspensiua. Si enim emtio venditio ita sub lege commissoria inita, vt suspensiua conditio illi insit, certe ante eiusdem existentiam nullum ius ex contractu transfertur, qui denum existente conditione effectus suos sortitur (per notissim. Iur. princ.). Quare ipse contractus sub conditione est initus, adeoque legem commissoriam non adscit conditio. Qui vero fieri potest, vt hic pactum adiectum conditione suspensiua ipsi contractui inhaerente in uno stomacho digerere possimus?

§. III.

§. III.

Lex commissoria nunquam emtioni venditioni tacite Lex commis-
sinesse potest. Legem enim commissoriam esse pactum tacite subin-
adiectum ex artis nostrae principiis satis superque manifesti ne-
stum est (§. 1.) & pacta adiecta virtute contractuum, qui-quit.
bus accesserunt, obligatione sua non destituuntur. (Schol.
ad §. cit.) consequenter lex commissoria ipsius emtioni
venditionis ope effectus suos sortitur. Sed ponamus il-
lam huic contractui quodammodo tacite inesse, necesse
quoque erit, ut etiam eidem emtioni venditioni absque
pacto adiecto insit. Verum quum hoc pactorum adiecto-
rum indoli manifeste repugnet, lex commissoria emtioni
venditioni nunquam tacite, i. e. crita voluntatem contra-
hentium expresse declaratam inerit.

Non desunt, qui emtioni venditioni, sicut publicae, seu
subhastationi commissoriam inesse contendant, auctoritate ipsius
BERGERI potissimum subfulti. Vrget enim BERGERVS in
resolut. LL. Obj. sub Tit. de lege commissor. secundum fori usum
a iudicis subhastantis aut potius eorum arbitrio, quorum interest,
dependere, vtrum compelli licitatem ad deponendum pretium,
aut an subhastationem repeti velint. Hanc ob rationem ad con-
suetam in subhastationibus formulam prouocat, sententiamque,
quam propugnat, exinde firmam putat, quod in contradicibus
nominis poenitentiae nullus locus sit, atque praeterea specia-
tim in L. 8.C. de contrah. emt. vendit. contra venditorem, qui
rem traditam soluto nondum pretio repeteret voluit, lis decisâ
est. Sed frustra BERGERVS, quid pacie manum tanti ICri di-
xerim, legem commissoriam tacitam in subhastationibus depre-
hendisse gloriatur. Lex commissoria enim necessario supponit
fidem de pretio suisse habitam. Si igitur pretium non soluitur,
emtor ad illud soluendum compellendus est, nullaque ideo poe-
nitentia ex parte vendoris locum habere potest. Quam ob rem
DIOCLETIANVS & MAXIMINIANVS analogiae iuris satis
conformiter rescriperunt in cit. L. 8. Cod. *Si non donationis cauf-*

sa, sed vere vineas distraxerit, nec pretium numeratum est,
 actio tibi pretii, NON EORVM, QVAE DEDISTI, repeti-
 tio competit. Nam si vendor de pretio fidem habuit, rei ven-
 ditae dominium in emtorem per traditionem transfulit, iam ve-
 ro haec dominii translatio aut sub conditione, si pretium iusto
 tempore soluit emtor, facta est, aut non. Priori in casu lex
 commissoria adiecta est, & ita vi eiusdem contractus mora em-
 toris accedente resolutur. Venditori igitur hoc in casu
 non potest non facultas eligendi competere, utrum nihilominus
 pretium ab emtore exigere, sive illum ad seruandum contra-
 dictum adigere, aut potius commissoria lege utri velit. Posteriori
 vero res pure tradita est, atque quum in contractibus nomi-
 natis poenitentiam exulsare manifesti juris sit, tantum ipsa ven-
 diti actione pretii exigendi ergo vendor experiri potest. Tan-
 tum vero abest, ut hinc inde necessitatem legis commissoriae ta-
 citae in subhastationibus vrgere possimus, ut potius ex ista sub-
 hastationis indole luculenter adpareat, iudicem subhastantem cre-
 ditoresque ad hoc adiectum pactum superuacanea confugere. Vul-
 gati nimurum juris est, rem venditam nequidem traditione em-
 toris fieri, si ille nec de pretio fidem habuit, nec eius solu-
 tio facta est, vid. §. 41. Inst. de rer. dom. L. 19. ff. de contrah-
 ent. vendit. adeoque contractum iam ipso iure effectibus suis de-
 statutum palam omnino est. Nihil igitur index subhastationem per-
 agens per dictam legem commissoriam consequitur, quam quod
 illi iam ipso iure competit. Nullius etiam ponderis sunt, quae
 Celeb. 10. GOTTL. REINHARD in Diff. sub praesidio huma-
 nissimi ICTI III. CRELIT Vitembergae habita de lege commis-
 soria tacita in subhastationibus ad defendendam BERGERI senten-
 tiam profert. Eam ob causam commissoriam legem emtioni
 venditioni citra expressam contrahentium voluntatem inesse posse
 statuit, cit. Diff. §. 9. quod negotio cuidam ex LL. dispositione
 & consuetudine illud tacite etiam inesse possit, quod alias per
 expressam passionem inter pacifcentes placuit. Sed quamvis ve-
 ritatem huius propositionis neutiquam in dubium vocare fas sit,
 tamen utique neganda est consequentia. Pactum enim commis-
 soriū efficaciam suam acceptam fert pactorum adiectorum indoli,
 quae vero nunquam sine expresso pacifcentium consensu contractui
 accedere neminem fugere potest. Quare potius subhastationi per
 propri-



propriam suam indolem idem illud competit, quod BERGERUS,
& qui ab eius stant partibus, fictae legi commissoriae tribuunt.
Abutuntur legis commissoriae notionē, & ex Iure Rom. emtio-
nem indicialem hac sententia supplerē student, quae tamen Qui-
ritium sanctionibus de paci adiecti natura atque efficacia e dia-
metro repugnat.

§. IV.

*Si lex commissoria emtioni venditioni adiecta, simul Arrha sima
que arrha ab emtore data, illa est arrha pacto perfecto da cum lege
ta.* Lex commissoria quando emtioni venditioni accedit, *commissoria
contrauctus iam perfectus sit necesse est* (§.2.). Iam pona *concurrere
mus rem in signum eius, quod perfectionem pacti con-
cernit, dari, hanc arrhae nomine venire haud incogni-
tum est.* Arrha igitur, si a contrahentium uno alteri in
eo casu datur, quo lex commissoria emtioni venditioni ad-
iecta est, non nisi arrha perfecto pacto data esse potest.

Valde diuersi sunt effectus arrhae pacto perfecto datae ab iis,
qui arrha imperfecto pacto intercedente ponuntur. Quoad at-
rham pacto imperfecto datam iam nobis praeiuit Vir Illustris ar-
que *Consultissimus REVTERVS* in egregia dissertatione sua inau-
gurali *de arrha pacto imperfecto data.* Arrha si datur a paci-
fentibus imperfecto adhuc contrauctu ponit obligationem disiunctiu-
mam contrahentium, vt nimirum ante ius dispendium incurvant aut
contractum perficiant. *THOMASIVS* quidem in *Diff. de arrbis em-
tionum* arrhae imperfecta adhuc emtione datae possibilitem non
sine specie fateor in dubium vocavit, sed *Illustris REVTERVS* in-
fensum hunc *IUSTINIANI* interpretem acumine sibi proprio in
viam reduxit in cit. *Diff.* Arrha vero, quae emtione iam per-
fecta datur dissoluto contrauctu ab accipiente restituenda erit, te-
ste *VLPIANO* in *L. II. §. 6. ff. de actionib. emt. vendit.* Ibi
enim: *is qui vina emit arrhae nomine certam summam dedit,*
*postea conuenerat, ut emtio irrita fieret: IUSTINIANVS EX
EMTO AGI POSSE AIT VT ARRHA RESTITVATVR.* Quae
ICtus hic de casu proponit, quo emtio venditio mutuo difsen-
su

si dissoluitur, etiam in aliis casibus obtineri quibus citra mutuum dissensum pacientium contractus in sumum abit, infra demonstrabimus. Ipsi Imperatori obvia est duplex arrha, altera quae datur in signum emtionei venditionis contractae, pr. I. de emt. vend. Altera, quae datur non nisi imperfecto contractu, vid. L. 17. Cod. de fide instrumentor. CAIVS etiam nobis explicatam dedit arrhae perfecto pacto datae naturam in L. 35. pr. ff. de contrah. emt. his verbis: *quod saepe arrhae nomine pro emtione datur non eo pertinet, quasi sine arrha conuentio nihil proficit, sed ut evidentius probari possit, conuenisse de pretio.* Si vero tantum probationis causa intercedit contractus iam perfectus est, qui exinde probari potest. Ceterum conf. quae Illustris Antecessor Rintensis FRID. VLR. PESTEL in Diff. de arrha contractibus vulgo adiici solita de eius effectibus eleganter differit.

§. V.

Poena conventionalis emtio venditio sub lege commissoria celebrata, poena conventionalis, ab emtore soluenda venditori, simul cum simul pacto adiecto determinari potest, & quidem emtor lege comm. illam resoluto ex lege commissoria contraetatu subire tenetur. adiici potest.

Si enim emtio venditio sub lege commissoria initur, dominium rei traditae iusto tempore non soluto pretio in venditorem reddit (§. I.) adeoque demum legi commissoriae locus est, cum emtor suam obligationem non expleuit. Si igitur inter pacientes placuit, emtorem eo casu rem quandam venditori praestare debere, si ille iusto tempore obligationi suaee contractae satisfacere detrectat, poenam conventionalem simul determinasse pacientes nemo non vider. Quia de causa in emtione venditione sub lege commissoria celebrata simul poena conventionalis locum habere potest.

Iam ponamus in eiusmodi emtione venditione, cui lex commissoria adiicitur, poenam conventionalem determinari, sanc vi definitionis poenae conventionalis res praestanda

standa erit si alter obligationem suam non expleuit. Sed quando emtor iusto tempore solutionem pretii conuenienter derrectat obligationi suae minus conuenienter agit, adeoque venditor legem commissoriam, si quae adiecta est, exercere potest. Si igitur data sub hypothesi legi commissoriae locus est, emtor poenam conuentionalem, qui illam promisit, subire tenetur.

Poena conuentionalis in Iure nostro saepius obseruatur. vid.
L. 28. 47. ff. de action. emt. vendit. & L. 14. C. de paetis, quamvis apud Romanos plerumque per stipulationem contracta, si factum in obligatone erat. Nullum vero dubium est, quin etiam in aliis contractibus locum haberi possit. Arrha etiam quae pacto iam perfecto datur, in poenam conuentionalem degenerare potest, si arrham dans pacificatur illam accidentis lucro in causam non expletea obligationis illam cedere debere. Caeterum conf. OS. HILLIGERVM IN DONELLO enucleato tom. I. libr. 13. cap. & FRANZIUM in Com. ad Pand. libr. 18. tit. 1. n. 26. qq.

§. VI.

His praestructis ad ipsius controversiae eriodationem *Sensus l. 4^a* properandum erit. ICti ut plurimum in emtorem, si *ff. 1. ff. de leg. comm.* lex commissoria exercetur satis dure sentiunt; illumque *eruitur.* poena amissionis non solum arrhae, sed etiam partis pretii soluti dignum afferunt. Opinionis huius auctorem ipsum VLPIANVM laudant, qui in *L. 4. ff. 1. de lege commissor.* NERATII doctrinam refert. Verum nihil umquam hisce ICtis placuit quod tam egregie ab analogia iuris deflectit. Videamus igitur an iniuriam ab VLPIANO, qui semper sibi constans fuit, auertere possumus. Iam B. BRANCHV in doctissimis quas dedit, *observationibus Iur. Rom. libr. 1. cap. 7.* aduerit, interpretes iuris cuius magis legum verbis inhaerere, quam ut de earum rationibus at-

que nexibus, quibus tamen totum Ius Romanum absolutur, solliciti essent. Ipsius itaque ICti orationem prius resoluturi, deinde demonstrabimus nihil ab VLPIANO & NERATIO prolatum esse, quod non omni ex parte ex principiis ipsius legitimae artis deduci possit. ICtus in hac lege sic eloquitur: *Sed quod ait NERATIUS habet rationem, ut interuallum fructus emtor lucretur cum pretium, quod numeravit, perdidit.* Igitur sententia NERATII tunc locum habet, quae est humana, quando emtor aliquam partem pretii dedit. Ex hoc VLPIANI fragmento vno ore colligunt ematorem partem pretii, quam dedit, perdere, si vendor propter moram illius fundum traditum repetit, atque resolutionem contractus vrget. Sed lege penitus inspecta VLPIANVS in omnia alia abit. Propositio interdum emtor fructus rei venditae & tractae lucratur mentem ICti absolvit, & ne indeterminata videatur, statim hypothesin eiusdem addit, sub qua tantum ex eius & NERATII doctrina valet, *cum pretium, quod numeravit, perdit.* Hoc pretium, quod intelligit, vberius explicat, dum pergit, hoc iuris esse *si partem pretii dedit.* Si tantum litteralem huius VLPIANI orationis sensum consideramus, haud difficile intelligimus, ICtum neque vniuersaliter locutum esse, neque hunc inde controuersiam, quae hodie mouetur, vtrum emtor partem pretii soluti perdat, si ex lege commissoria contractus irritus fit, definiuisse. In tota *I. 4. de lege commissor.* VLPIANVS iura vendoris, eiusque officia docet, neutiquam vero directe moroso emtori obligationes, quae resoluto contractu nascuntur, praescribit, quod ex eo manifestum satis adparet, quum in primam eiusdem legis quaestitionem mouet, vtrum venditi actione iam resoluto contractu vendor tantum ipsum fundum traditum repeteret possit, aut an simul fructuum, atque accessoriorum causis,

quae

quae emtor pendente lege commissoria adquisiuerat, hac actione experiri possit. Causa olim inter sectas agebatur, nimirum an finito contractu venditori actio venditi aut praescriptis verbis danda sit, vsque dum item secundum SABINVM eiusque familiam dederunt Imperatores SEVERVS & ANTONINVS teste ipso VLPIANO loc. cit. Vid. Illustr. GODOFR. MASCOV. in tractat. de sectis Sabianorum & Proculianorum cap. 9. §. 11. GERH. NOODTIVM in Comm. ad Pand. Tit. de lege commissor. EMUND. MERILLIVM in obseru. libr. 3. cap. 8. FRIDER. HOTTO-MANNVM in obseru. libr. 6. obseru. 14. Hac occasione ICTUS NERATII sententiam de fructibus rei traditae, quae nunc ad venditorem redit, refert. NERATIVS enim existimabat emtorem fructus ex fundo vendito haec tenus perceptos lucrari, si parrem pretii, quam numerauit, perditus est. VLPIANVS igitur potius contra venditorem facit, dum negat venditorem hac sub hypothesi simul contra emtorem fructuum perceptorum caussa ipsa actione venditi agere posse, cum alioquin etiam illa actio venditori competit esset fructuum, quos percepit emtor, consequendorum caussa v. pr. cit. b. Peruersa igitur satis sententia est, quam interpretes VLPIANO obtrudunt, quod ut eo luctentius adpareat; 1) demonstrabimus emtorem tantum arrham datam perdere si expresse inter pacifcentes id placuit, i. e. si per modum poenae conuentionalis data est, nunquam autem ipso iure; 11) illum partem pretii solutam semper reperere posse, si lex commissoria resolutiōnem emtionis venditionis operatur.

§. VII.

Quum §. praec. mentem VLPIANI in L. 4. §. 1. ff. Quoad arde lege commissor. enucleauimus, iam nobis incumbit; verham ab emtore

torem datam rite euincamus emtorem arrham datam nunquam ipso
 sententiad iure amittere; sed si venditor illam lucrari vult, opus illi
 ducitur. est pacto hunc in finem initio, i. e., vt simul poenae con-
 ventionalis naturam induat. Quoad partem vero pretij,
 quam emtor dedit sequent. §§. item contestabimur. Si
 itaque emtor tempore contractus perfecti arrham dedit,
 vel simul pactus est, vt venditor illam lucretur, si res
 vendita & tradita ex lege commissoria adiecta ad vendito-
 rem rediret, vel non. Priori in casu arrha data simul est
 poena conuentionalis, adeoque venditor illam non restitu-
 re tenetur. Posteriori vero illam utique emtor repetere
 valet, quantumvis contractus ex lege commissoria dein-
 ceps resoluatur. Vtriusque propositionis probatione nos
 facilis negotio fungi posse persuasi sumus. Posterioris vero
 veritatem primo ostensuri sumus, cum prior simul exinde
 manifesta sit. Ponamus itaque emtorem dedisse arrham
 in eo casu, quo lex commissoria simul adiecta est vendi-
 tioni, neque de illius amissione pactum fuisse, ponamus
 porro eundem emtorem pretium iusto tempore non sol-
 uere, adeoque venditorem vi pacti commissorii fundum
 traditum non solum repetere, sed etiam arrham lucrari
 velle, certe emtor arrham nullam aliam ob rationem per-
 deret, quam ideo, quia obligationi suae non satisfecit,
 adeoque arrhae datio hoc in casu obligationem alternati-
 vam in emtore poneret, vt nimis aut contractum ad-
 impleat, aut arrhae dispendium incurrat. Sed haec con-
 stituerent arrhae pacto imperfecto datae effectus (per de-
 finir.) consequenter arrha ab emtore in hoc casu imper-
 fecta adhuc emtione data esset. Verum arrha, quam
 emtor in eo casu, vbi lex commissoria contractui adiecta
 fuit, tradit, est arrha pacto perfecto data (§. IV.). Quam
 ob rem arrhae simpliciter datae dispendium non incurrit
 emtor obligationem suam non adimplens, si emtio ven-
 ditio

ditio propter legem commissoriam irrita fit. Venditori igitur integrum quidem est commissoriam exercere, sed arrham resoluto contractu restituere tenetur. Neque aliud, quod iam ex arrhae pacto perfecto datae natura deduxi, placuit Ictis, quorum auctoritatem in Digestis saepe exitauit TRIBONIANVS. Nam SCAEVOLA elegantem casum definit in L. 8. ff. de lege commissor. sequenti oratione: *Mulier fundos Caio Seio vendidit, & acceptis arrhae nomine certis pecuniis, statuta sunt tempora solutioni reliquiae pecuniae, quibus si non parvissent EMTOR PACTVS EST, VT ARRHAM PERDBRET & incunae villaे essent: die statuto emtor testatus est, se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsoluere & saccum cum pecunia signatorum signis obsignauit, defuisse autem venditricem.* Posteriori autem die nomine fisci testato conuentum emtorem ne ante mulieri pecuniam exsolueret, quam fisco satisficeret. *Quesitum est, an fundi non sint in ea caussa, vt a venditrici vindicari debeant ex conuentione venditoris.* Respondit secundum ea, quae proponerentur non commisisse in legem venditionis venditorem. SCAEVOLA in hac specie facti expressè refert, inter emtorem & venditricem pactum eum in finem diserte initum esse, vt emtor, si contra legem committit, arrham datam perderet, quare tantum abest, vt emtor ipso iure arrham amittat, si propter legem commissoriam a contractu recedit vendor, vt potius ex mente SCAEVOLAE non nisi pacto interueniente hoc fiat. Deinde Ictus expressè dicit, *statuta esse tempora solutioni RELIQVAE pecuniae, atque per hanc locutionem innuere videtur, quod pecunia arrhae nomine data in pretium computandum fuisse, si emtor pretium iusto tempore soluere paratus deprehenderetur.* Si vero arrha tempore contractus iam perfecti data in pretium computanda est, arrham datam venditorem etiam

praeter pretium haud lucrari manifestum est. Eodem fere modo Imperator ANTONINVS litem dirimit in *L. 1. Cod. de pact. inter emt. & vend.* si ea i^ege praedium vendidisti, ut nisi intra certum tempus pretium fu^sset exsolutum EMTRIX PERDERET ARRHAS; & dominium ad te pertinere; fides contractus habenda est. Casus ab ANTONINO deci^sus sⁱstit venditionem sub lege commissoria celebratam, quod ex verbis contractus quae Imperator refert: ut nisi intra certum tempus pretium exsolutum dominium rei traditae ad venditorem rediret, tatis adparet. Praeterea contrahentes expresse initio contractus pacti fucere: ut nisi intra determinatum tempus pretium solueret emtor arrhas datas perderet. Quare ANTONINVS iustum omnino statuit fidem contractus habendam esse, adeoque emtorem arrham perdere. Ex his igitur *LL. neutri*quam adparet iure Rom. Imperatores quam ICti tum demum contra emtorem litem dederunt, si expresse in casum non expletæ obligationis arrhae iacturam suscepisser. Aduersum vero tenere viderur idem SCAEVOLA, cuius tamen auctoritate iam ipsi usus ad propugnandam nostram quam elocuti sumus propositionem. Videamus igitur an SCAEVOLA contra se ipsum committat. ICtus in *L. 6 ff. de lege commissor.* sequentem in modum ad casum sibi propositum respondet: si per emtorem factum sit, quo minus legi pareretur, & ea lege venditor vii. velit, fundos inemnos fore, & id, quod arrhae, vel alio nomine batum esset apud venditorem remansurum. Sed SCAEVOLA nihil statuit quod non concedere possimus salua quam propugnamus thesi, quodque ipse ICtus suis principiis conuenienter statuere debuisset. Singularis enim casus ICto proponebatur adeoque SCAEVOLA non potuit non secundum venditorem litem dare, quum omni procul dubio in ipso contractu inter pacientes conuentum

etiam

esset quod arrhae lucrum ad venditorem pertineat, si forsan ex lege commissoria contractus resolueretur. Quum SCAEVOLAE quidem responsum hic relatum sit, tamen speciales circumstantias non deprehendimus, quae ICto suffecerunt, arrhae dispendio emtorem multare. Non obscure etiam ex lege penitus perspecta intelligimus ICto ex confusa forsan quaerentis narratione anticipitem fuisse, utrum id, quod emtor perfecta emtione dedit, arrha proprie talis esset, an aliam praestationem complectetur, tum disiectiue loquitur *id quod arrhae vel alio nomine datum fuisse*. Quare idem SCAEVOLA ex l. 8. quam modo in medium protulimus, explicandus videtur, ubi casum proponit, quo emtor iacturam arrhae sub euentu legis commissoriae pacto in se receperat. Qui enim fieri potest ut emtoris pacto expresso opus fuisse, si arrhae datae iactura iam ipso iure dignus censendus sit. Infensum nunc, qui tantum videbatur, SCAEVOLAM in nostras partes redegimus. Altera propositio iam sua sponte fundamento gaudet quum & natura poenae conventionalis id iubet, & SCAEVOLA atque ANTONIVS l. c. iustum putarunt.

§. VIII.

Emtorem ab arrhae datae, si non sub specie poenae conventionalis dedit dispendio iam liberauimus (§. prae soluto conced.). Quare nunc illi facultatem pretii partem repe tractu partendi resoluta emtione vindicaturi sumus. Iam autem si ^{tem} pretii emtioni adiecta est lex commissoria partemque pretii de repetit. dit emtor aut pendente venditione fructus rei venditae & traditae percepit, aut non. Vtique in casu emtorem partem pretii, quam dedit repetere posse, nobis videtur. Quare nunc utramque propositionem seorsim considerare animus est. Si emtor pretii partem dedit,

*nullosque rei traditae fructus percepit finito contractu
pretii partem solutam repetendi iure gaudet.* Ponamus enim legem commissoriam emtioni venditioni adiectam fuisse, atque emtorem premium reliquum debito tempore non soluisse, a venditoris dependet arbitrio an contractum vi paeti adiecti resoluere velit. Ponamus porro venditorem rem traditam repetere tunc resoluitur contractus atque iura obligationesque ex emtione venditione oriundae in sumum abeunt (§. I.). Sed in emtione venditione emtor ad soluendum premium obligatus fuit, quare haec emtoris obligatio finito contractu non potest non cessare. Verum fingamus eundem emtorem premium, quod numeravit, perdere, aut ideo perditurus esset, quoniam in casum non expletae obligationis eius amissionem per paetum suscepit, aut ipso iure hac poena adfiendus est. Sed prius non inter contrahentes actum est, (per hypoth.) sique etiam hoc factum sit, per modum poenae conuentionalis tamen id contingeret; quare posterius in legibus sancitum sit necesse est. Legum dispositiones vero non adsunt quod infra patebit, adeoque pretii partem solutam non perdere potest. Si autem resoluto contractu emtor solutum premium non amittit, nullosque fructus rei traditae pendente lege commissoria percepit, illud quoque repetere posse eundem emtorem finito contractu res ipsa exigit.

Altera propositio haec est: *emtor partem pretii quam dedit, repetere potest, si contractus resoluitur, atque si pendente lege commissoria fructus ex fundo vendito percepit, in eius arbitrio est eligere, utrum fructus perceptos cum pretii parte soluta compensare, an accepto precio eos restituere velit.* In lege enim 4. §. I. ff. de lege commissor. **VULPIANVS** testatur emtorem interdum lucra-

ri

ri QVVM PRETIVM QVOD NVMERAVIT PERDIDIT.
Quam ob rem in hoc casu ICtus venditori fructuum
consequendorum causa actionem competere negat (§. VI.).
Emtori igitur facultas concessa est fructus rei venditae ple-
no iure adquirendi sub conditione tamen si pretii soluti
partem perditurus est, consequenter ab eius non potest
non deperdere arbitrio an fructus perceptos cum pretio
soluto compensare velit. Si vero haec compensandi a
sua voluntate dependet vel illam exercere vel iuri a LL.
sibi indulto renunciare potest: adeoque illi integrum est,
statuere, vtrum pretii soluti partem repeteret, an retentis
fructibus illam perdere malit. Neque hoc pugnat cum
aequitate, ICtis Romanis semper amica. Si enim fru-
ctus percepti & forsan consumti cum pretio soluto
compensantur, venditori nullum praiejudicium infertur,
quum fructus pretio numerato sunt aequales, (per hy-
poth.) qui ideo restitutis fructibus precium iis aequale
reddere tenerur, qui vero actus foret frustraneus, si
venditor emtori idem in continentia redditurus esset, quod
in ipso momento ab illo accepit. Quare breui manu
ICtis compensatio magis apta visa fuit. Sed forsan cui-
dam videtur idem absurdum obtainere in nostra propo-
sitione qua emtori facultatem fructus perceptos cum pre-
tii parte soluta compensandi vindicauimus. Verum ca-
ue specie decipiari. Si enim fructus iam ab emtore
consumti sunt vtique ab eius arbitrio non dependere pot-
est illos restituere & pretium quod dedit vindicare, quo-
niam non amplius exstant, atque inter aestimationem fru-
ctuum & pretii partem, quoad concurrentem summam
iam ipso iure compensatio contingit. Si vero adhuc ex-
stant, hoc eligendi ius optime cogitari potest. LL.
igitur penitus inspectis iam ex ipsis earum rationibus ar-
gumentari licet emtorem pretii partem nunquam ipso iu-

re amittere. VLPIANVS enim cum NERATIO statuit, venditorem restitutionem fructuum ab emtore non petere posse, si hic pretii partem datam perditurus sit, consequenter si fructus perceptos restituere paratus est, ille quoque pretii partem acceptam reddere obligatus est. Quae enim esset ratio vi cuius emtor pretii dati dispensandum incurreret, si aut nullos percepit fructus aut illos restituere vult, redditio pretio? Quis est qui adhuc compensationem fructuum cum pretio numerato in uno stomacho digerere possit, si emtor iam absolute illud perderet? Nonne ICI in hoc casu saluis suis principiis statuere debuissent, venditorem & premium datum lucrari & fructus ab emtore perceptos resoluto nunc contractu repeterere posse? Satis firmum igitur erit argumentum, quod ex admissa compensatione ad emtoris facultatem pretii partem solutam infirmata venditione repeten-di necimus.

Magno numero enim nobis opponunt Iuris Romani interpres qui quidem ad unum omnes contra nos faciunt, sed quorum visiones quoque tam diffonae sunt, ut laterem lauaturum crederem, qui illos in concordiam redigere vellet. Quare tantum breuissime eorum discutienda sunt rationes quibus vtuntur ad erroneam sententiam defendendam. HUBERVS, quod minor, in Praelect. ad Pandect. tit. de lege commissor. mentem suam his verbis exponit: *Quando autem perdit premium? QVOTIES ALIQVAM PARTEM PRETII DEDIT, ut est in l. 4. §. 1. An igitur, quando res inemta sit vi legis commissoriae & res vendita restituitur premium, quatenus adnumeratum est, non restituitur: Non videtur, quia non est restitutio in integrum ubi partes utimque ius suum recuperant, sed poenalis conuentio aduersus perfidiam d. l. 4. §. 2. & arg. l. 6. §. 2. eod.* HUBERO igitur ea placet sententia, quod nimur emtor toties premium datum perdat, quoties aliquam pretii partem numerauit atque contractus resolutur. Verum me in omnia alia abe-

abeuntem arcem ipsius causae inuadere oportet. Proletarium certe eius censendum est argumentum, tantoque ICto indignum. HVBERVS sequentem in modum argumentatur: si lex commissoria est poenalis conuentio aduersus perfidiam emitoris, emtor quoque partem pretii solutam resoluta venditione perditurus est. Antecedentis veritatem ex l. 4. §. 2. & arg. l. 6. §. 2. ff. de lege commissor. subministratur consequentiam ex ipsius VLPIANI oratione in l. 4. §. 1. ff. eod. probare conatur, veruna utique antecedens extra contentionis ferram non positum est. Si enim lex commissoria emtioni adiicitur, venditor de pretio fidem habet (Schol. ad §. III.), atque tantum pactum in securitatem vendoris accedit, quod sine omni poenali conuentione esse potest, & toties erit, quoties contrahentes poenam conventionalem non adiecerunt. Nihil quoque in d. l. 4. §. 2. continetur, quod tantum aliquo modo HVBERTI opinioni simile esset, quum VLPIANVS EX PAPINTANI decisione refert, venditorem statim decernere debere, vtrum legem commissoriam exercere an potius emtorem ad seruandum contractum adigere velit, quod etiam SCAEVOla in l. 6. §. 2. confirmat; ita vt HVBERVS ICTos satis sinistre sit interpretatus. Deinde plane neganda est consequentia in qua vleus, quod refecandum erit. Sit enim lex commissoria poenalis conuentio, tamen poena, quae hinc inde oritur non alia erit quam vt emtio venditio irrita fiat, si emtor in mora est, adeoque vt venditor ius ex contractu translatum nunc retinocare possit (§. I.). Sed quo iure argumentum procedere potest a resoluta venditione ad poenam moroso emtori insuper infligendam? HVBERO quidem idem ab VLPIANO prolatum esse videtur in l. 4. §. 1. ff. de lege comm., qui vero ICTi mentem sapra §. 6. expositam perspectam sibi reddit, Batauan hic ingenio suo abundare, non ambiget. Simili modo disturbatur BACHOVIVS ad WESEMBECCIT paratit. ff. tit. de lege commissor. qui nodum hunc secando soluit, dum TRIBONIANI manum hic deprehendere sibi aliisque persuadere cupit. Superuacanea etiam merito sunt, quae IO. GVIL. ENGELBRECHT in Diff. de lege commissoria &c. §. 23. aduersus BACHOVIVM atque VOETIVM disputat, quibus etsi a vero aberrarunt, ENGELBRECHTIUS acumine longe inferior est.

Quoad

Quoad arrham nullum subesse dubium putat, cum jus arrham repetendi is non habeat, qui contradixi non satisfecit. Sed arrham pacto perfecto datam confundit cum illa, quae imperfecto adhuc pacto datur, qui quoque plurimum error est. Quod ad pretii partem solutam attinet non spinosa sunt eius, quae obiecit dubia. Petit quod adhuc in principio est, si ad naturam legis commissoriae refert amissionem pretii, quod emtor soluit. Magis quidem ad rem sunt, quae *B. BRANCHV in obseruat. Iur. Rom. libr. 1. cap. 7.* differit, dum *VLPIANVM* in *cit. 1.* sub hypothesi, quam supra propugnauit intellegit, nullamque partis pretii solutae amissionem respectu emtoris admittit, nisi aut ea de re pactum fuerit initum aut emtor fractus rei venditae perceptos lucrari velit, tamen in propria saeui viscera, si padum tacitum hunc in finem sufficiens putat. Non vrgebo parta adiecta tacite inita Iure Romano esse non entia, sed quo modo emtor tacite consentiret in amissionem pretii soluti, si obligationi suae satis non facit? Nullo certe alio modo, quam si omittit resoluto contractu pecuniam datam condicere. Verum quaestio est de jure emtoris utrum scilicet finita venditione repertere possit partem pretii numeratam, cui igitur Vir doctissimus exinde satis hand fecit. Distinguit Vir Illustris *F. E. PUFFENDORF* in *obseruat. Iur. zniu. tom. 1. obseru. 39.* inter pretium arrhae nomine datum, & quod contractus implendi causa solvitur. Priori in casu Vir eximiuit communem sententiam veram, posteriori autem erroneam statuit. Sed discriben addendum ipsam causam euerit. Sit enim pretium arrhae nomine solutum aut est arrha venditione perfecta data, aut ea, quae imperfecto contractu datur. Quoad priorem extra dubitationis aleam possumus, longe alios esse huius arrhae effectus, & decisio Viri illustris non obtinere potest, nisi per modum poenae conventionalis data sit (§. VII.). Quoad posteriorem §. IV. demonstrauimus illam in emtione venditione quae sub lege commissoria celebratur, non cogitari posse. Reliquorum dissentientium rationes nunc sua sponte corruunt. Officio igitur nostro iam defuncti, eruditio *B. L.* examini nunc submittimus, quae huc usque disputauimus, & dissertationi imponimus.

F I N E M.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
D N. C A N D I D A T O

S. P. D.

P R A E S E S.



*Opus a TE laudabiliter coeptum meoque sub
conspictu insigni alacritate continuatum
a perfectione sua non procul abesse video,
quum necum hodie cathedram conscendis eximiae TV-
AE eruditio[n]is specimen editurus. Maxima prorsus vo-
luptate afficior, si illos, qui manuductioni meae se tra-
dunt ad veram Iurisprudentiae laudem pleno gradu ad-*

D

spī-

spirantes percipio. Non potui igitur non ingenium TV-
VM ornatissimum atque egregias animi TVI dotes, qui-
bus prae caeteris emines eo magis exosculari, quo certi-
us est, veram solidamque eruditionem hodie plurimus esse
odiosam. Sunt enim qui vmlratili philosophiae traetatione
adeo imbuti, ut omnem fere reliquam scientiam
obliuioni dare studeant, quique philosophia non utuntur
ut veritatem detegant, sed ut euertant id quod firmum
est. Sunt qui omnia ignorent praeter quasdam formu-
las, quas tanquam totius eruditionis palladium sanctissime
seruant. Hi sunt qui cruda in forum propellant stu-
dia, quorum notio directrix non nisi panis fuit, qui
ideo philosophiam execrantur & quod ignorantiae semper
conuenit, quae nesciunt, contemnunt. Sed meliorem
atque vere regiam ingrediuntur viam qui pdilosiphiam
atque solidam legum ciuilium cognitionem coniungunt,
quum manifestissimum esse plene sim conuictus, duo haec
tantum absoluere Ictum vere rationalem ac vere prag-
maticum. Ad TE summa provocare possum fiducia si
quis veritatis huius probationem a posteriori, ut ex ar-
te loquar, a me desideraturus esset, cum ex meis perce-
peris scholis philosophiam inter media quibus iura eruuntur
primum obtinere locum, ne riquam vero omne in iuris
prudentia ferre punctum. Quare facili negotio id conse-
quutus es, quod alii tot ambagibus atque frustraneo
quaesuerunt ausu. Abominare igitur vltius frigidam
illam inanemque eorum iuris scientiae iactacionem, qui
vix modicum ex legum fontibus libauerunt, tamen ex
letheo poculo totam artem bibisse sibi videntur. Meum
quidem

quidem desiderasti praesidium, sed quum virium TVA-
RV M praestantiam cognoscam me TIBI sifto commili-
tonem, aut si maiis publicae victoriae testem. Vale
meque amare nunquam desiste quem virtute TVA iam
dudum TIBI proprium reddidisti. Scribebam in Re-
gia Fridericiana die XVIII. Octobr. MDCCCLV.



Juristische Schriften in Hendels Verlage.

- Beseke**, D. Io. M. G. comm. de cratione iure deliberaudi & inueniario in adeun-
da hereditate, 4to. 773. 3 gr.
- — de alienatione hereditatis ad explicandam Leg. II. Dig. de hered. vel act.
vend. & componendas clarissimor. ICtor. lites, med. 8vo. 774. 12 gr.
- — über die Quellen der Moralität und Verbindlichkeit, als die ersten Grundsätze
de der Moralphilosophie und des Naturrechts, 8vo. 774. 5 gr.
- Brunquelli**, Iol. Sal. opuscula ad historiam & iurisprudentiam spectantia, edidit
atque coll. D. Hen. Io. Ott. Koenig, cum fig. med. 8v. 774. 1 thl. 16 gr.
- Charondæ**, (Ludou. ICti Parif.) de iurisdictione & imperio libellus, 4to. 2 gr.
- Crellii**, Christ. Ludov. Dissertationes atque Programmatia, Fasc. I — VII. cum figg.
775. & 77. 2 thl. 22 gr.
- werden fortgesetzt; jeder einzelner Fas. kostet 10 gr.
- Heisler**, D. Phil. Iac. exercitationum academicarum ad diversas materias iuris per-
tinentium fasciculus, de annis 1750. 1775. X. dissert. continens, cum in-
dice, 4to. 10 gr.
- Karo**, Rabbi Joseph, sententiae Rabbinorum de successione ab intellecto & testa-
mentaria, collecta in libro Schulcham Aruch, latine redditæ per C. G. Meyer,
cum accessionibus G. H. Stuck, & prefatione Dan. Nettebladt. med. 8vo.
775. 10 gr.
- Kemmerich**, D. H. liber de probatione consuetudinis & obseruantia, tam priuatae
quam publ. sive imperialis, cum indice necessario, 4to. 6 gr.
- Madibn**, D. Georg. Sam. exercitationes academicæ Halentes ad præstantiora maxi-
me iuris civilis capita pertinentes, fasciculus; XIII. dissert. continens, cum
indice, 4to. 18 gr.
- Madibn**, D. Lud. Gottfr. opusculum I. vicissitudines substitutionis exemplaris
eiisque veram indolem continens. 4to 775. 9 gr.
- Menken**, G. Lud. introduct. in doctrinam de actionibus forensibus, ad usus prælectio-
num acad. edita a G. S. Madibn. 8vo. 759. 10 gr.
- — opuscula, quibus multa maxime iur. ciuil. capita ad usum fori spectantia
proponuntur, in unum Vol. coll. 8vo. 770. 20 gr.
- Mureti**, (Marei Antonii, ICti & ciu. Romani celeberr.) commentarii breues &
peripciui in titulos ad materiam iurisdictionis pertinentes, Argentor. 1608.
recula Halæ. 4to. 771. 3 gr.
- Rentz**, D. Io. Hartw. exercitationes academicæ præstantiora maxime iuris ciuilis
capita illustrantes, IX. dissert. continens, cum indice, 4to. 9 gr.
- Siccama**, Sibr. Tetard. de iudicio Centumurali Lib. II. iterum recensuit, anim-
aduersioribus instruxit, & opusculis argumentum illustrantibus auxit D.
Car. Frid. Zepernick, med. 8vo. 776. 21 gr.
- Thosi**, And. gegenwärtiger Staat des pabsl. Hofes, worin Nachricht von den
Ehrenstellen, Congregationen, Gerichtshöfen, Regtern und Ceremonien
dieselben ertheilt wird; aus dem italienischen mit Vorrede und Anmerkungen.
von P. E. Bertram, 8v. 771. 10 gr.

024 1304


VD18

ULB Halle
003 102 05X

3



24



DISSE R T A T I O I V R I D I C A
DE
E F F E C T V
L E G I S C O M M I S S O R I A E
P A R T E P R E T I I S O L V T A
A D L. 4. §. L DE LEG. COMM.

Q V A M
P R A E S I D E
V I R O C O N S U L T I S S I M O
G E O R G I O S A M V E L E M A D I H N

I V R I S V T R I V S Q V E D O C T O R E ,

D. XXVI. SEPT. MDCCCLV.

H. L. Q. C.

P U B L I C E D I S P V T A B I T
A V C T O R R E S P O N S V R V S
I O A N N E S F R I D E R I C V S S C H Ä F F E R
C V S T R I N O - N E O M A R C H I C V S .

HALAE SALICAE,
S T A N N O H E N D E L I A N O .